

dem enecaturum. Hoc verò ob id propalarunt ut fidem, ac gloriolam auferrent & furriperent, invidiâ hujus inventi, quod experientiâ verum esse comprobatum fuit, illosque mentiri, rumorque invidiæ in auctores reflexit. Ecce igitur quomodo diutius latuerunt, & partim latent hucusque.

DE UNIVERSALI METHODO CURANDORUM VENENORUM  
quasi synopsis.

CAP. XXX.

**Q**UM de viperæ curandis ictibus superfit scopus, neque ratio permittat de particulari aliquo venenato affectu pertractare, nisi universali prius breviter curandorum venenorum appendice præmissa,

missa, in qua de omnibus eorum differentiis, deque venenatorum affectuum essentia, ac universali singulorum medela, etiam ageretur; propterea conabor auxilia ab antiquioribus artis medicæ scriptoribus, ea potissimum seligere, quæ à præstantissimis medicis usu frequenti comprobata fuerint, partim à junioribus, partim à nobis experta conscribere; quæ, etsi pauca viderentur, nec propterea negligenda sunt, cum sint maximè proficua: Nicandrum, Dioscoridem, Galenum, Paulum Æginetam, Aëtium, Oribasium, Aretæum, Noniumque sequutus, non speretis neotericis. Ad eam ipsam rem ut proximius me convertam, hoc ordine utar: Imprimis de venenorum differentiis, ex ipsorum essentia, deque universalibus signis, ac præcautione, & communi curatione pro omnibus temperaturis, quibus aut oblatum, aut allatum, aut afflatum venenum fuerit, agendum erit. Sciendum

endum utique imprimis est ut altius exordiamur, tria esse ex veterum medicorum sententia venenorum genera, ex quibus homo inter cetera animantia maximum percipit nocuum, & certum suæ vitæ discrimen. Ipsorum enim unum genus in animalibus venenum eiaculantibus reponitur, alterum à plantis eruitur, tertium ex fodinis educitur. Animalia nostri orbis, quæ exitiosam vim habent, ex veterum sententia sunt serpentes venenati, ipsaque vipera, salamandra, rubeta, rana muta palustris, terrestris canora, cantharides, buprestis, devorata hircines, & alii aquatici pisces, & amphibii venenati. Quæ verò à plantis colliguntur, vel semina, vel radices, vel fructus, vel foliorum succus sunt. Semina verò, hyoscyamus, cicuta, psyllium. Radices verò, ephemerum, cholchicum, tapfia, veratrum, napelli omnes, & aconita, solani, succus mandragoræ, & aliorum, colocynthis, & cucumis a-

grestis, agaricus niger, fungi lethales, sardonium apium, ruta sylvestris, & alia. Ex mineris eruta, auripigmentum, hydrargyrum, cerussa, sublimatum, gypsum, calx, arsenicum, seu sandaracha, magnes, lapis Armenus non probè lotus, plumbum uftum, ac futorium atramentum, argenti spuma, pluraque alia reperiuntur, quæ alibi declarabimus cum de eorum medelis commodius agemus. Quoniam autem tres horum differentias tetigimus, plures adhuc esse non ignoramus, quas à qualitate manifestè interficere cognoscemus, vel quia nimis calida sunt, vel nimis frigida, vel sicca, vel nimis humida; quædam verò reperiuntur, quæ corrodendo, & putrefaciendo interficiunt, quæ quo magis in corpore morantur, eo fortiora fiunt, ut Galenus affirmat in libro de simplicibus medicamentis capite primo. Nonnulla reperiuntur venena, quæ à tota specie, sive à tota substantia, ac forma

inte-

interimere dicuntur, cujusmodi sunt, tum napelli, tum ac onita omnia. Venenati affectus duplici ratione fieri possunt, quidam enim interdum ex aliquo intrinsecus operante oriuntur; exempli gratia, si intrinsecus humores adurentur, aut corrumpentur, quod multoties evenire solet, & in multis cernitur. Fatetur enim Galenus libro 6. de Locis affectis cap. 5. & libro de Euchymia & caco chymia, quod humores aliquando ita corrumpantur, ut non solum homines non nutriantur, sed calori naturali, ac vitę ita maximè adversantur, ut inde homines faciliè pereant, id patet in canibus in quibus adeò sævus humor oritur, ut illicò rabidi fiant, tantaque in ipsis humorum corruptio oritur, ut solùm ipsorum saliva, si in humanum contigerit corpus, rabiem accendat; quod venenum caninum non ab alterante calore fieri videtur, sed à necessario corrumpente, eamque duplicem esse corruptio-

nem certum est; primam verò sine mixti dissolutione evenire, alteram cum dissolutione. Rem exemplis aperiam; sanguis quandoque in flavam bilem vertitur, hoc certè fit citra mixti dissolutionem, si verò aliter sanguis putrescat, id cum dissolutione corporis seu mixti fieri clarum est, quando in cinerem convertitur. Loquamur igitur de corruptione, quæ fit citra mixti dissolutionem, hoc est, corruptione, quæ fit in humano corpore, & hæc eadem duplex est, una secundum naturam, altera præter naturam. Naturalis igitur erit, quando bonus cibus assumptus in ventriculo, vel sui, vel alterius causa corrumpitur, & in bonum succum convertitur, ut pariter in vite contingit, aqua, quæ corrumpitur in vinum commutatur, naturalis pariter bonus succus, in jecore non solum alteratur, sed corrumpitur, & in hac naturali corruptione venenum in humano corpore non producitur, sed

sed mixtum in aliud mixtum degenerat, ut cibus & potus in chylum, forma & substantia chyli, sanguifica venarum & jecoris facultate vertitur in sanguinem, qui extra venas eductus in carnem apponitur, nullaque inter hujusmodi formas est contrarietas, verum similitudo concoctionis. Altera verò præter naturam corruptio mixti fit, quòd commutetur in excrementum, naturali excremento simile, vel ei, quod præter naturam est; exempli gratia, dum sanguis, cum corrumpitur in bilem flavam, non in venenum vertitur, sed in mixtum, quod non habet sanguinis formam alimenti sed tantum mixti excrementitii, quoniam non potest amplius mutari, nec ullam habet formam, humano corpori contrariam, ut ipsum venenum, sed hoc excrementum medicamento bilem attrahente educitur; quod idem quoque excrementum biliosum tripliciter

commutatur, in bilem vitellinam,  
 deinde in æruginosam, postremo in  
 atram bilem; sed ad summum ipsius  
 atræ bilis gradum ascendat necesse  
 erit, si humanæ formæ dissimilem  
 speciem acquirat. Nunc quoque  
 per corruptionem generum est in  
 corpore venenum, ut contingit in  
 pestilentibus febribus, in quibus  
 sanguis acquirit formam humanæ  
 formæ contrariam, ut libro tertio de  
 Temperamentis, capite quarto, te-  
 statur Galenus, venenumque illud  
 in humano corpore genitum cani-  
 no esse simile, statutumque sit, in  
 corpore fieri non posse nisi conten-  
 ta, vel aliquod contentorum, ut san-  
 guis, seu alius humor non acquirat  
 formam humanæ formæ contrariam;  
 ex materia quoque excrementosa  
 generari potest, ut potè vel ex san-  
 guine menstruo, vel ex putri semi-  
 ne, vel ex alimento, ut Galenus te-  
 statur libro 6. De Locis affectis, &  
 lib.

lib. II. met. med. capite 8. Ex Galeno non excluditur calor putredinalis, qui non modò in sanguinem agit, verùm in adipem & in carnem; quòd cum ita sit, haud mirum est, si ejusmodi partes solidæ in venenum convertantur, ut plurimis exemplis antea confirmavimus, non solum ex alteratione, verùm etiam ex corruptione necessario evenire, quòd libro primo de Locis affectis Galenus asserit. Hoc idem in homine conspicitur, in quo adeò vitiosus sanguis oritur & humor, ut tractu temporis aliqua principalium partium consentiat, à qua deinde universum corpus celeriter alteratur. Menstruum enim nonne si præter naturam retineatur, aut moveatur, seiviora aliquando quam venenum inducit symptomata? unde nonnulli ipsum inter venena connumerant, illa enim contractæ fruges non germinant; arefcunt herbæ, amittunt arbores fructus, & ferrum rubigine consumitur;

& æra nigrescunt, canesque ipsum  
 comedentes rabidi fiunt. Sperma  
 etiam si commotum præter naturam  
 retinentur, sæviora inducit acciden-  
 tia, ut quasi venenum esset, non secus  
 ac mensium retentio, cholera, & æ-  
 æruginosa prassini veneni naturam  
 attingunt. Venenati affectus fiunt ex  
 his, quæ per os assumuntur sub spe-  
 cie cibi, vel potus, vel medicinæ, un-  
 de ita facilè hominem homo in frau-  
 dem allicit, & ad obitum deducit.  
 Hæc de venenorum differētis dicta  
 sufficiant. Nunc me quoque ad ve-  
 nenati affectus essentiam explican-  
 dam accingam. Venenatus affectus  
 ille est, qui ex re aliqua naturæ hu-  
 manæ penitus contraria provenit,  
 qui quidem nî cito medici auxilium  
 præsto sit, hominem propediem in-  
 terficeret. Affectus autem ex causa-  
 rum diversitate non unus erit; aut e-  
 nim ex primis qualitatibus provenit,  
 exempli gratia, frigiditate, uti à man-  
 dragora, opio, solano somnifero,  
 hyo-

hyofcyamo, aut confimilibus, quæ a-  
 deò corpora noſtra quandoque in-  
 frigidant, ut inde vita auferatur,  
 quod evenit, quia naturalis calor, &  
 ſpiritus una, adeo frigidi redduntur,  
 ut penitus congelentur, & ſuas ope-  
 rationes exercere minimè valeant, ex  
 qua re demùm interitus ſequi ſolet.  
 Ex nimia etiam caliditate huiusmodi  
 excitantur affectus, ut ab euphor-  
 bio, tapsia, anacardo, quæ ſui calidi-  
 tate naturalem corporis calorem diſ-  
 ſolvunt, nativum humidum exſugendo,  
 in quo vita conſiſtit. Pariter ex  
 humiditate nimia membra ſtupēſi-  
 unt, & calor diſſolvitur, ſicut corian-  
 drum recens efficit, quod ſtupēſa-  
 ciendo & humectando ſpiritus craſ-  
 ſos adeo ac inertes reddit, ut inde  
 mors facilimè proveniat. Idem quo-  
 que ſiccitas præſtare poteſt. Præte-  
 rea ex ſecundis etiam qualitatibus  
 oritur venenatus affectus, vel ex cor-  
 roſione, & putrefactione, ſicut agit  
 ceruſſa, calcanthum, ac ipſe adamas

qui sui acuitate corrodit ventriculum, & intestina. Ex animalibus etiam hoc idem provenit, sicuti ex cantharidibus, quæ si assumantur ex venarum, aut renum, aut vesicæ corrosione, sanguinē mingere cogunt. Interdum vero ex his quæ à tota substantia agunt, huiusmodi redduntur affectus, sicut napellus, & fel Leopardi. Ex temperatissimis etiam cibariis plus ingestis idem provenit, ut evenit in vino, lactuca, & multis aliis, quæ naturalem calorem suffocant, sicut evenire solet viridibus lignis, igni superpositis; etenim si quantitate nimia igni superposita sint, eum extinguunt. Idem agunt naturâ frigida cibaria, quæ si affatim ingerantur, sicut lactuca ipsa, si in nimia quantitate sumatur, aut eadem ipsa, quam Plinius venenatam vocat, ex stupefactione nimia, ex sua frigiditate homo interit. Ob quod licet videatur obscurum, haud negandum est, multa venena in natura rerum reperiri, quæ nutrire.

ET FACULTATIBUS. 159

nutrire possunt, etsi Averroes medicorum stimulus libro 7. capite II. huic sententiæ contradicat, ubi à quibusdam, inquit, dictum est, ut quidam paulatim venenum assumpserunt, ac gradatim in alimentum conversum fuit sine nocumento, ego, inquit Averroes, non concedo venenum nutrire posse; confirmatur hæc eadem sententia ratione; illud enim, quod est secundum totam substantiam disconveniens, nutrire non potest, ut Galenus libro 3. de Temperamentis capite 2. probare videtur. Ego verò in hac verso sententia, ut venenorum quædam nutriant, quædam minimè. Venenorum enim quædam per primas qualitates manifestas interficiunt, vel calefaciendo, vel refrigerando; quædam vero per qualitates secundas interimunt & occidunt, putrefaciendo, vel corrodingo; quædam vero à proprietate occulta operantur, ut in magnete lapide, qui occulta proprietate ferrum

trahit. Hac distinctione dicendum, quod in secunda & tertia parte nulla est difficultas, quoniam hæc nutrire non possunt, & naturæ humanæ penitus repugnet. Quæ autem à primis qualitatibus interficiunt, adhuc dupliciter considerari debent, vel quia calida, vel quia frigida; qua divisione etiam Galenus utitur. Calida vero alere non posse constanter asseruit, & absolutè in minori etiam quantitate venena fore. Frigida autem, si non dantur in sufficienti dosi, venenata commodè nutriunt, lib. 3. simplicium medicamentorum capite primo. Dico igitur de medicamentis quæ sua frigiditate interficiunt, nulla in genere suo esse, quæ interficiant, nisi per quantitatem ingentem. Reliqua verò corrodentia, aut putrefacientia medicamenta, aut in quarto calefacientia, simpliciter interficiunt non adauctâ quantitate; quæ sententia ex Galeni placitis vera est, approbarique potest. Rationi verò, quæ

quæ de puella napello nutrita ex historiis ab Avicenna prolata : napellum, cum calidum sit, sequi veneno calido nutritam fuisse, non frigido, respondendum : in textu hyoscyanum esse legendum non napellum, & hoc verum ex Galeni loco nuper citato esse videtur, ubi eandem sententiam refert, propterea quod textus veli hyoscyanum, sive cicutam dicere; quod utrumq; nostram confirmat opinionem. Iterum demonstrativè deducitur, quando Avicenna de napello & sturnis scripsit, idem à Galeno assumpsit, ubi de cicuta & sturnis non autem de napello & turdis legere oportebat; quomodo enim Avicenna scire potuit, an turdi napello vescantur? cum certè quid napellus sit (quod pace sua audiat) ignoravit? signa enim quæ Avicenna refert de eo qui hausit napellum, coincidunt cum illis, qui toxicum biberunt; toxicum autem nihil aliud est, quam veneni genus, quo ab antiquis sagitta

tā tangebantur, eisdemque in eo tradunt effectus, quos Avicenna in nappello conscripsit. Ad aliam rationem, quòd potest in substantiam nostri corporis converti, venenum nutrire concedimus, venenum frigidum intelligendo. De eo, quod à proprietate interficiat, vel calidum sit, omninò negamus; quia omne quod est adustivum, aut corrosivum, aut putrefactivum, eorum nullum alere potest, cum à calore nostro non possit corrigi. Si quis autem venenis in cibum assumendis assuecere velit, ab ineunte ætate incipiat, & in modica magnitudine sumat; non enim secus egit Atheniensis illa mulier, quæ ut Galenus narrat hyocyano, aut cicutæ assuevit; illa quidem incæpit sumere modicam quantitatem, ita quòd non cessavit addere, & procedere, præter quòd advenisset inde læsio & nocumentum, donec accepit ex eo magnam quantitatem ad drachmas scilicet triginta, ea  
 liqui-

siquidem puerilis etas, cum adhuc  
 instabilis sit, facillime ei assuescit, un-  
 de natura consuetudinem injit, ne-  
 que in primis sumptum, in modicam  
 magnitudinem, venenum frigidum  
 hominem necat, tunc enim absque  
 consuetudine fieret alimentum, qua-  
 re dispositionem quandam inducat  
 oportet, qua minus se denuo sumere  
 adverteret, & obstet, quod toties re-  
 petitum illam adauget, efficacemque  
 reddit, ut denuo assumptum alat, &  
 instauret tanquam virale proficiat,  
 hic verus est modus se venenorum  
 assumptioni assuefaciendi, ut modo  
 Turca opio, qui tantam ejus copiam  
 deglutiunt; hocque pacto venena,  
 quæ necare solent, interdum assum-  
 pta non efficiunt, sed nutriunt. Ite-  
 rum ad eandem puellæ historiam di-  
 cendum, quod de gallina scorpiones  
 comedente, namque cicuta, ut in  
 scorpione etiam fieri potest, ut ali-  
 quæ partes sint alimentales, aliquæ  
 veneficæ, portio tota alimentaris  
 purga-

purgatis excrementis in substantiam nutriti pertransit, veneficæ partes præcipuè in excrementa vertuntur; si igitur in minima quantitate sit assuetata inter initia, & in majori ætate assuesceret assumptioni napelli procedente ætate, ratione consuetudinis id succedere, quoniam ab assuetis non fit tanta passio, ex quo factum est, ut alimentalis pars napelli conversa sit in alimentum, & in corporis substantiam; altera pars servaverit proportionem propriam & ad uterum transmisit quæ puellam non lædit sed cœuntes ob excrementum venenatum veneni proprietate infecta, quæ sola apta est ad illud venenum recipiendum, quemadmodum à Petro medico apocrita propriæ filix, ut regem cœundo interficeret, administratum fuit, ut clarissimè ex Pandulfi Colenucci Neapolitana historia patet.